

Sua duritiam internam exterius ostendunt Iudaei.

64.

Ioan. 8.

Securior iniquis coram Iudice, quam innocentia coram inuidia, ac odio.

1. Reg. 24.

Gloss. moral.

1. Reg. 12.

65.

Homines respiciunt omnia sua violant.

Ioan. 19.

66.

Ioan. 8.

Iniquum ex alterius modestia sit perisior.

67.

Matth. 26.

Iudas ex mansuetudine, ac patientia Domini nutrit suam impudentiam.

currunt, Psalm. 119. num. 7. Cum loquebar illis impugnabant me gratis. Intus lapideo corde erant obstinati Iudaei, ad lapides ergo manibus currunt, ut duritiam illam, quam interiorius habebant, exterius manibus, ac digitis demonstrarent.

Tertio. Contra Christum Iudaei lapides manibus arripiunt, ac cum adultera deprehenditur, Ioan. 8. num. 3. quae secundum legem lapidanda erat, nullus est terra contra eam lapides eleuat. Multoties sane maiori in discrimine versatur innocentia coram inuidia, ac malitia, quam iniquitas iniustitiae praesentia. Summa Christi innocentia à maleuolis, ac inuidiosis Iudaeis lapidibus imperitur; crimen verò mulieris delinquentis ab aequissimo, ac supremo iudice veniam impetrat. Valde diuersus casus contigit Dauid apud Saul, & Nathan apud Saul; purus, & innocens erat Dauid, ita ut ipse ei diceret: Vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te, 1. Regum 24. num. 12. Et tamen Saul crudeliter eum persequeretur, ac multa diligentia eum exquirebat ad mortem. Apud Nathan verò tantquam iudicem integerrimum a Dei delegatione ut notat Glossa moralis stat Dauid, & tamen ab illo suorum delictorum impetrat veniam. Dixit ei propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris, lib. 2. Regum 12. num. 13. Cur apud Saul innocens Dauid periclitatur; apud verò Nathan tantorum criminum reus saluus fit? In Saul dominabatur odium, & inuidia, timebat enim à Dauid regnum suum à se, ac filiis suis expoliandum. In Nathan verò vigeat integritas iustitiae, & maius tutamen, ac patrocinium habuit, culpa coram aequissimo iudice, quam innocentia in oculis liuoris, inuidiae, ac odij.

Quarto. Adultera dimittitur libera, Christus verò condemnatus indicatur. Lapidamus te, non de bono opere, sed de blasphemia: dicunt. Adultera habuit Christum iudicem, Christus verò Phariseos, homines iniquos, ac respectiuos. Sicque ipsi clamantes dixerunt Pilato: Si hunc dimittis non es amicus Caesaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari. Pilatus autem cum audisset hos sermones adduxit foras Iesum, Ioan. 19. n. 12. Vide supra cap. 15. quæst. 12. num. 87. & 88.

Quinto. Contra Dominum lapides manibus sustulerunt, quod etiam iam praestiterunt apud Ioan. cap. 8. num. 58. tunc enim ad saxa cucurrerunt, Dominum lapidare intentantes, quod iterum nunc modo patientia Domini abutentes facere conantur. Sæpe enim iniquitas ex tua modestia, mansuetudine, ac humilitate ansam arripit, ut contra te manum eleuet, & insurgat. Si enim prima impudentia à Domino fuissent percussis, nunquam modo secundo ad lapides currerent, sed modestia Domini abutentes iterum eum lapidare intentant.

In vltima cœna ait Christus Dominus suis discipulis: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet, Matth. 26. num. 23. Cur Dominus tantum fauorem, ac benignitatem praestitit, ut non solum ei concederet, quod cum eo ad mensam sederet, panemque cum illo manducaret, sed etiam ut in paropsidem manum mitteret, hic tantum facinus perpetrabit, ut Dominum suis inimicis tradat. Machinabatur Iudas proditorias infidias aduersus Christum Dominum, & tamen ipse Dominus suauis, ac leni cultu, tantam benignitatem erga eum exhibebat, ut etiam secum manum in paropside intingere ei permitteret, obstinata

autem Iudae malitia, & peruersitas tanta clementia, ac mansuetudine non emollitur, sed potius impudenter audaciam reassumit, ut Iesum in suorum manibus inimicorum tradat. D. Hieronymus ad citatum locum Matth. ad illa verba: Va autem homini illi. sic ait: Nec primo, nec secundo Iudas correptus à prodicione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam. Expende vltima verba. Ex patientia Domini malignus non confunditur, ut mitescat, sed impudentior fit, ut suam peruersitatem exequatur. Patientia Domini nutrit impudentiam suam.

Cum Christus Dominus dixisset Principi Sacerdotum se esse filium Dei. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli, Matth. 26. num. 64. Quid inde secutum est. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, ibidem num. 67. Cum audiunt Dei filium, cur ad tantam contumeliam currunt, ut alapas infligant? Hoc iudicium apud se statuerunt Iudaei. Si Christus esset Dei filius tantam patientiam non praestaret, si autem tantam sufferentiam exhibet, non filius Dei, sed homo est, ex patientia, ac modestia eius volunt argumentum efformare contra eius diuinam maiestatem ad ignominias, ac iniurias ei irrogandas. Eleganter Origenes tractat. 35. in Matthæum: Ausi sunt, ait, expuere in faciem eius, arbitrabantur, quod non sustineret expulsiōnis opprobrium, qui sedebat ad dexteram virtutis, & venturus erat in nubibus. Vide supra cap. 17. num. 94.

QUESTIO X.

Quare tam malitiosè dicunt Iudaei, quod de bono opere nolunt eum lapidare?

DE sensu horum verborum egi in expositione. Ad nostram quaestionem, valde malitiosè dicunt de bono opere. Eximiam Christi virtutem maximè imminuere tentant. Iesus dixerat: Multa bona opera ostendi vobis. At verò illi respondent: De bono opere non lapidamus te. Consequenter ad verba Domini in plurali dicendum erat de bonis operibus. Multa virtutum opera à Domino erant ostensa, sed ipsi inuidiosi ad pauca, immò ad vnum contrahunt: seu ut explicat Maldonatus, de bono opere non lapidamus te, id est, nullum bonum opus habes, propter quod te lapidemus. Iudaei iniqui Christum Domino, Ioan. 6. num. 30. Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? Multa signa, & miracula fecerat Dominus, & tamen inuidia ita obcæcari volunt minuere, ac si nullum fecisset, dicunt, quod tu facis signum? D. Chrysostr. homil. 44. in Ioannem: Nihil, ait, his stultius, nihilq; insipientius, cum signum in manibus haberent, tanquam nullum fecerit, rogant, quod signum facis? Aliter verò Nicodemus, qui rectis oculis, ac expedita mente in Dominum erat, cuius multa miracula, ac opera recognoscit: Nemo potest hac signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, Ioan. 3. num. 2. Solus amicus, & non inimicus tua cognoscit, ac intelligit magnalia. Vide infra cap. 8. quæst. 30. num. 252. tom. 2. & 3. verb. Amicus, in Indice.

Secur.

Hieron.

68.

Matth. 26.

Ex patientia efformatur argumentum ad inuidiam.

Origenes.

69.

Maldon.

Inuidiosi bona aliorum opera minuant, ac contrahunt ad pauca. Ioan. 7. Chrysostr.

Ioan. 3.

70.

Gravissimum vulnus non quod in vita, sed in honore infligitur.

3. Reg. 21.

71. Genes. 49.

Genes. 44.

Gravissimus dolor non ex offensa in vitam, sed in honore.

Rupertus.

72.

Alcin.

Leont. Euthym.

Secundo. Considera eorum magnam superbiam. Dicunt, De bono opere non lapidamus te. Non solum affectant eum à vita sed etiam ab honore, ac reputatione expoliare; astruunt, quod in eo parum, aut nihil boni operis videant, ut modo ex Maldonato notavi, nil crudelius, quam aliquem in suo honore laedere, ac offendere. Pro decollato Ioannis Baptistæ capite nullus est, qui Herodi mortis sententiam denuntiet, ut Parens Helias pro interfecto Naboth impiæ Iezabel intimaui. Nam Herodes, etsi mortem intulit Baptistæ, nullum tamen crimen eius famæ, & honori, nihil enim contra eum dictum est, secus verò Iezabel, quæ mandauit Naboth ut blasphemum lapidare, quo magna ignominia eius auctoritas deprimebatur. Scripsit litteras dicens: Submittite duos viros filios Belial contra Naboth, & falsum testimonium dicant; benedixit Deum, & regem; & educite eum, & lapidate, & sic moriatur, 3. Regum 21. num. 10. ut latè notavi tom. 3. cap. 32. quæst. 16. num. 95.

Benedicens Iacob filio suo Ruben, ait: Ruben, primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, Genes. cap. 49. num. 3. Quorsum Iacob Ruben appellat suorum dolorum principium? Iacob multis doloribus, ac calamitatibus affectus est, ut quando ei denunciata est mors Ioseph: quando & filij eius interfecerunt principem Sichem, ac occisis omnibus masculis depopulati sunt ciuitatem in ore gladij, ex quo Iacob multam ruinam sibi ac totæ suæ familie praetimit. Ex quo ipse dixit filiis suis: Odiosum me fecistis Chananeis, & Phereis habitatoribus terre huius, nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea, Genes. 34. num. 30. Quomodo ergo Ruben principium doloris? Ruben, ut ipse Iacob statim explicat: Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Habens accessum ad Balam vxorem patris sui, quo facinore multam iniuriam parenti suo irrogauit. Ecce causa cur dicitur, principium doloris mei. Dolores, quos hausit Iacob ex morte audita Ioseph, vel principis Sichem eius vitam, substantiam, ac familiam respiciebant. At dolor ex incesto, ac fecedato cubili à Ruben læserat auctoritatem, ac honorem eius, & inde maximus dolor extiterat, ut diceretur principium doloris eius. Rupertus lib. 9. cap. 26. Vnde principium, ait, doloris mei: ex eo, quia effusus es sicut aqua ascendendo cubile patris tui; hoc enim principium doloris eius extitit, non quod in nullo ante doluerit. Vide supra cap. 8. q. 17. num. 145. & 146.

QUESTIO XI.

Quare Iudaei cum vellet negare bona opera in Christo, ipsi tamen ea fatentur?

VD.ÆI Dominum Iesum tanquam blasphemum, ac multorum criminum reum voluerunt lapidare, ac etiam apprehendere. In hoc cap. 10. num. 39. Quomodo ergo recognoscunt eius bona, ac præclara opera ab ipso facta, cum dicunt, de bono opere non lapidamus te? Alcinus: Iudaei, ait, quamuis inuiri confitentur multa beneficia sibi impensa à Christo. Quod etiam docent Leontius, Euthymius, & alij. Confitentur bona opera Christi erga nos, quod nempe fanasylueira in Enang. Tom. IV.

uerat eorum ægtotos, liberauerat à dæmonibus multos, & aliquos vitæ restituerat, & quamplures in deserto non semel paucera, & tamen cum tanta beneficia commemorant, ipsi volunt lapidare; ut eorum ingratitude cum multa exaggeratione appareat, quia ex beneficiis acceptis, ex quibus se debebant gratos exhibere ad obsequia præstanda, offensus se ostentant, ut contra Dominum lapidibus armentur.

Gravius prædicatur extitisse peccatum regni Iudæ, quam regni Israel, seu Samariæ. Iustificauit animam suam auertrix Israel comparatione prauaricatricis Iudæ, Ierem. 3. num. 11. Ac si diceretur: peccata regni Iudæ adeo excedunt peccata regni Israelis, ut hæc præ illis nulla viderentur; immò non solum regnum Iudæ astruit suis idololatriis superasse Samariam, sed etiam suis delictis, ac flagitiis excidisse Sodomam. Vnde ad Iudam sic loquitur Ezechiel. 16. num. 48. Vno ego dicit Deus: quia non fecit Sodoma, soror tua, ipsa, & filia eius, sicut fecisti tu, & filia tua: & Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis. Quomodo Iudæ grauius peccauit super Samariam, & Sodomam rectè explicat Theodoretus: Et si peccasset, ait, & infinita facinora ausa esset Samaria; at procul aberat à Dei templo: & licet paruum, certè quandam veniam habebat; cum & sub alterius Regis imperio degeret; & in sacro Dei templo legitima persicere, nequiret. Sodoma item, neque Prophetam habebat, neque legislatorem: sed sola naturalis legis doctrina fruebatur. Tu verò, & legem habens, & Sacerdotes, & Prophetas, & sacrum Dei templum, legitimumque cultum, illarum impietatem consecrata es: quare illas ostendis venia dignas. Grauius scelerata commisit Samaria, & Sodoma, tamen Iudæ suis criminibus eas sic transgressa est, ut illius comparatione iustificata viderentur. Nam Samaria deliquit carens templo, Sodoma verò sine templo, ac lege data Sacerdotibus, ac Prophetis vivebat, quibus omnibus diuinis beneficiis Iudæ fruebatur, & ex quibus maximè in diuino obsequio stricta futura erat; inde impudens facta legem violabat, templum prophanabat, Sacerdotes contemnebat, ac Prophetas non audiebat: ideo ergo peccatum Iudæ tantum exaggeratur, quæ ad delictum durius armatur, vnde gratitudinem impensus rependere debebat. Vide supra cap. 12. quæst. 10. num. 74. 75. 76. 77.

Secundo. Ad eadem verba: Iudæi quamuis inuiri multa beneficia, &c. dum volunt negare bona opera in Christo ipsi ea fatentur, dum dicunt, de bono opere non lapidamus te. Ipsi ea testantur, quæ negare intendebant, contra se rationes, ac argumenta producant. Cum illius beneficia, ac miracula fatentur, ut dixi ad initium quaestionis. Cum filij Iacob vendidissent fratrem suum Ioseph Madianitis: tulerunt tunicam eius, & mittentes, qui ferrent ad patrem, dicentes hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non. Genes. 37. num. 32. Veluti subdenotantes, quod Ioseph ab aliqua fera fuisset deuoratus, ostendentes autem tunicam Ioseph contra se manifesta nota, ac signo argumentabantur, apertumque testimonium aduersus se proferebant. Nam fera ut deuoraret Ioseph, ipsum à suis vestimentis non exiit, sed simul cum veste dilacerauit, ac deglutit; si ergo mortuo Ioseph vestis eius integra apparet, non fera, sed manus hominis ipsum interfecit, qui valuit eum à vestimentis

Ingrati ex beneficiis contra benefactorem armentur.

73. Ierem. 3.

Ezech. 16.

Theodor.

Summa ingratitude ex donis datis offendere.

74.

Genes. 37.

Iniqui contra se arguuntur, & agunt.



luis exuere; dum ergo ostendentes tunicam Ioseph, ab illius morte se volunt innoxios declarare, in hoc ipso se illius auctores pro dunt, & manifestant. Quod etiam bene intellexit Iacob, tamen ne impudentiores fierent, noluit sceleratos arguere, ac punire, sed eorum inuidiam, ac seuitiam feram pessimam appellauit. Ut docet Rupertus Abbas lib. 8. de Trinitate & operibus eius cap. 8. Tacendi potius, ait, & dissimulandi, quod conicere poterat tempus illi, scilicet Iacob, erat, ne si notam sibi illi feram, id est filiorum inuidiam audacem, atque violentiam querelis manifestis exagigaret, maiorem in rabiem dentes eius acueret; itaque in acerbissimo illo dolore vim faciens, & verba sua moderans, tunica filij mei est, inquit, fera pessima comedit eum. Nota sequentia verba: Nec hoc dicens falsus, aut mentitus est, talis namque seuitia cum leone, vel urso, fera, aut bestia vocabulo æquissime equiparari potest. Vide supra cap. 14. quæst. 5. num. 48. cap. 17. quæst. 16. num. 104.

- Ioan. 10. n. 34. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi dii estis?
Num. 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura.
Num. 36. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemias: quia dixi filius Dei sum?

VERSIONES.

- Syriacus n. 34. Nonne ita scriptum est in lege?
Syriacus n. 35. Si eos dixit deos, propterea quod ad eos factus est sermo Dei
Arabicus. Et cum dixerit eos deos, quia ad eos sermo Dei factus est.
Arabic. n. 36. Quanto igitur magis eum, quem Pater sanctificauit, & misit illum in mundum: vos dicitis, quia blasphemio.
S. Hilarius. Misit in hunc mundum, vos dicitis, quia blasphemauit.
Syriacus. Dicitis ei: tu blasphemias: quia dixi vobis me esse filium Dei.

EXPOSITIO VI.

75.

RESPONDIT Iesus. Et ponit argumentum à minori ad maius. Si enim Scriptura appellat Deos communes homines, ad quos sermo Dei factus est, & non est blasphemia tales Deos dicere: multo minus erit bla-

sphemia, imò sine vlla blasphemia verissimum est, ut is dicatur Deus, quem Pater sanctificauit, seu sanctum genuit, ac misit in mundum. Nonne scriptum est in lege vestra. In libro nempe Psalmorum pertinente ad legis veteris scripturam, quia ego dixi dii estis, Psalm. 81. num. 6. Hebraicè, Elohim. Elohim autem plurale est, & tam Deum, quam Deos significat. Deus autem dicitur Elohim tam prout vniuersum mundum regit, & gubernat, quam etiam prout omnium iudex, omniumque scelerum ultor. Ex quo iudices, qui potestatem regendi, ac iudicandi, & puniendi à Deo participant, Elohim, seu dii appellantur: hi autem dii non natura, & vnione hypostatica, vt Christus Dominus, sed gratia, & participatione eminentiæ diuini iudicij, vt notant Albert. Magn. D. Thomas, Carthuf. sic Exod. 7. num. 1. Moyti, ait Deus: Constitui te Deum Pharaonis. Id est participem diuinæ virtutis ad castigandum, & puniendum Pharaonem, Exod. 22. num. 28. Diis, id est iudicibus, non maledices. Cum virtutem regendi habeant à Deo. Iuxta illud Pauli, Rom. 3. 1. num. 1. Non est potestas nisi à Deo.

Si illos dixit Deos. Homines nempe dixit Deos participatione. Ad quos sermo Dei factus est. In illo Psalm. 81. num. 1. ad quos Deus alloquens arguit, & increpat, quod non rectè iudicent. Vel ad quos sermo Dei factus per Moysen concedens eis participationem suæ auctoritatis ad iudicandum. Nam iudices dii quidem terræ videntur. Secundò aliter explicat Rupertus lib. 10. in Ioan. Quinam, ait, præcipue sunt illi, ad quos sermo Dei factus est, vel quis sermo Dei, qui participatione sui in Deos prouexit homines? Vtique dii isti præcipue Patres illi sunt, ad quos sermo Dei, id est re promissio, de Incarnatione filij Dei facta est. Sermo Dei, seu promissio de Incarnatione Verbi diuini sic homines nobilitauit, vt Deorum nomen nanciscerentur. Tertio. Caietan. Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. Ratione etenim diuini sermonis diuinum homini numen communicatur. Clemens Alexandrinus in exhortatione ad gentes: Sunt, verè, ait, sacra littera, que sacros faciunt, & deificant: scilicet homines. Additur: Non potest solui Scriptura. Hoc est irritari, fieri falsa, & mendax, vt interpretantur D. Bonauent. Carthufian. Hugo, & alij. Non potest solui Scriptura à vinculo veritatis, & perpetuitatis. Ipsa enim firmissima, verissima, ac perpetua est.

Quem Pater sanctificauit. D. Augustinus, & Beda vim argumenti sic explicant: Si eos, ad quos sermo Dei factus est. Teste Scriptura, que non potest solui, seu irritari, dii vocantur, quanto magis ego qui non sum sermonis Dei particeps, sed sum ipse Dei sermo, Deus vocari debeo. Pater sanctificauit. Primò. Maldonatus ait Hebraismum esse, idem significans, ac designare, ac destinare ad officium Saluatoris, vt homines saluaret, ac à peccatis liberaret, in hac expositione alludit ad verba Ieremiæ 1. num. 5. Antequam exires de vulua sanctificauit te. Secundò. Euthym. Theophylact. sanctificauit, hoc est separauit, segregauit à cæteris hominibus, vt occideretur pro mundo, sanctum enim dicitur quod Deo segregatum est; ac si dicat, ex eo quod me Pater segregauit in salutem mundi, manifestè constat, quod ego non sum æqualis alijs diis, seu hominibus, qui participatiuè vocantur dii, sed quod sum Deus verus. Verè enim opus Dei est saluare, & non hominis gratia deificari, ait Theophylactus.

Tertia

78. August.

Beda. Haymon. Alb. Magn. Carthuf. Tolet. Burgens.

Rom. 1.

Hilar. Athanas. Chrysoft. D. Thom. Caietan.

Hugo.

Tertia sententia interpretatur de sanctificatione substantiali, & est D. Augustini, Pater sanctificauit, id est sanctum genuit, per generationem æternam. Pater cum natura diuina communicat filio suam sanctitatem. Sic ait D. Augustinus: Vt enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Sic etiam docent Beda, Haymon, Albertus Magnus, Carthufianus, Toletus, Lucas Burgensis, & alij. Quarto, & vltimo explicatur præfata verba de sanctificatione per vnionem diuini suppositi. Eo ipso enim, quod hypostasis Verbi, quæ est ipsamet sanctitas increata, & infinita humanitatem assumpsit, eam plenissimè sanctificauit, eamque omni sanctitate gratiæ, charitatis, ac omnium virtutum repleuit. Vnde de Christo ait Paulus Rom. 1. num. 4. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum, facis te ipsum Deum. Respondet Christus, quod quamuis sit homo sic per vnionem hypostaticam sanctificatus est à Patre, vt Deus sit & homo. Prout eius sanctissima humanitas vnita est supposito diuini Verbi. Hæc mihi videtur probabilior interpretatio. Hugo Cardinalis sic explicat, quem Pater sanctificauit, seu sanctum declarauit in Baptismo.

- Ioan. 10. n. 37. Si non facio opera Patris mei; nolite credere mihi.
Num. 38. Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.
Num. 39. Quærebant eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.

VERSIONES.

- D. Cyprianus. Si non facio facta Patris mei.
Syriacus n. 38. Si autem facio: etiamsi mihi non credatis, illis operibus credite, vt sciat, & credatis Patrem meum in me esse, meque in Patre meo.
Syriacus n. 39. Et studebant iterum apprehendere eum: at euasit ex eorum manibus.

EXPOSITIO VII.

79.

REOCUPAT Dominus obiectionem Iudæorum, & quia ipsi dicere poterant. Vnde tu probare potes, vt nos agnoscamus te esse sanctificatum, ac missum à Patre? Ideo ait: Si non facio opera Patris mei. Quia Dei natura est inuisibilis, & difficillima cognitu, ideo Sylueira in Euang. Tom. IV.

ad opera sua, quæ experientia, ac sensibus percipiuntur, remittit eos Christus Dominus. Theophylactus, ex D. Chrysostomo: Vultis, inquit, scire equalitatem cum Patre? à substantia non potest scire (impossibile enim est, scire substantiam Dei) sed accipite ex operum equalitate, & identitate, iudicium identitatis secundum virtutem. Idemque tradunt Euthymius, Bonauent. & alij. Ad opera ergo recurrit, ex illisque comprobatur suam identitatem cum Patre, ideo ait, si non facio eadem opera, quæ Pater sua infinita potentia facit, v. g. mortuos suscitare, ægris sanitatem conferre. Nolite credere mihi. Permitto vt non credatis, quæ concessio confidentiæ est, cum eius opera clarius luce esset eadem existere cum operibus sui Patris.

Si autem facio. Opera scilicet Patris mei, & mihi non vultis credere, operibus credite. Si verba mea vobis non persuadent, persuadeant opera, vt cognoscatis ex eis, quis ego sim, & credatis, quia Pater in me est, ego in Patre; per identitatem vnus naturæ, quæ mihi ab eo cum omnibus attributis est communicata. Vnde rectè asserunt D. Chrysostomus, D. Augustinus, D. Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Beda, D. Thomas, D. Bonauent. quod hæc verba: Ego in Patre, & Pater in me est; idem valent, ac illud quod supra Dominus dixerat: Ego & Pater vnus sumus. Vnde subdit D. Chrysostomus ad hæc verba homilia 60. in persona Christi: Nihil ego aliud quam quod ego Pater, manens Filius. Nihil ille aliud, quam quod ego manens Pater: & qui me nouit, nouit Patrem: & qui Patrem nouit, & Filium. D. Augustinus tractat. 48. in Ioannem: Non sic dicit Filius, ait, in me est Pater, & ego in illo. quomodo possunt homines dicere, si enim bene cogitemus, in Deo sumus: & si bene viuamus, Deus in nobis est, fideles participantes eius gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus, & ipse in vobis; sed non sic vni-genitus Filius, ille in Patre, & Pater in illo, tanquam æqualis in eo, cui est æqualis.

Quærebant ergo eum. Illud aduerbium, ergo, indicat, quod Iudæi verba Christi intellexerunt, quibus debebant mitigari, vt Domini sermonibus crederent, eisdem magis accensis furorē sunt, vt eum apprehenderent. In Græco additur iterum, quod alludit ad id, quod superius narratum est in festo Scenopægiæ, Ioan. 7. num. 30. 32. & 59. apprehendere, nempe per ministros. Et exiuit de manibus eorum. Virtute nempe diuina faciendo se inuisibilem: vt fecit cap. 8. Ioan. num. 59. De manibus eorum. Quas virtute diuina retinuit, ne eum apprehenderent, ait, quia manus fidei non habuerunt.

- Ioan. 10. n. 40. Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic.
Num. 41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: quia Ioannes quidem signum fecit nullum.
Num. 42. Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum.

DDd 3 VERSIO